

sistatur & aliis ex altero ventriculo B promanet, id quidem relaxando valvulam K & alteram H nunc deprimendo &c. obtineatur. Quæ res omnis ita obvia est, ut Aristoteles etiam, alioqui cit. loc. multum se torquens in causis his assignans, inscius quasi eam totam teneat, quando inter medias causas commentitias (quas h̄ic excutere non est operæ pretium) τὸν ἐκτὸς τῆς κλεψύδρας αἴρα-ΐσον τὴν δυώμεν, dicit, πόλις ἐπωθύντι ἀντὸν αἴσι, τῇ δὲ ἀντερέσσει αὐθεντέρον ἐκείνῳ h. e. aërem extra clepsydram (aquam in foraminibus fundi sursum urgentem) aqualem potentiam desuper (per apertum orificium) propellenti aéri, sed resistentia inferiore illo, non equidem propter rationem ab ipso allatam, quod superior per angustum clepsydræ collum descendens celerius atque adeò impetuosius fluat, sed propter aquæ propriam gravitatem illi aéri suppetias ferentem, ut antea dictum est, & Aristoteles ipse in verbis antecedentibus haut obscurè innuerat. Quemadmodum etiam Alexander Aphrodisæus, cùm Lib. I. Probl. 35. quintum & sextum nostrum Phænomenon his verbis proposuisset: Διὰ τὶ δὴ τῷ λεγομένῳ ἀρπαγίῳ ἀγγείῳ ὁ δάκτυλος ἐν τῷ σώματι ἐντιθέμενος ἀντῶν, τὸ ὕδωρ ἐν ἑαυτῷ ἔχον δύο τῷ πυθμένῳ ἐπαίρετο δὲ συγχωρεῖ Φέρεθαι; i. e. Cur in sic dictis Harpagiis vasibus digitus eorum orificio impositus aquam non sinit fluere per fundum; sublatus autem eam ferri concedit? ad prius equidem (quod meritò quis miretur) nihil respondet, ad posterius autem, φημὶ, ait, δὴ τι ἐν τῷ ἐπαίρεσθαι τὸν δάκτυλον ἐν τῷ σώματι, ὁ ἀηρ εἰσιὼν ὠθεῖ τὸ ὕδωρ δηπ' τὸ κάτω, φύσιν ἔχων τοιαύτην καὶ γάτως ἐξειδήτων ὁπῶν τῷ πυθμένῳ. h. e. Dico, quod, sublato digito, ex orificio, aér subintrans pellit aquam deorsum, talem naturam habens; & sic egreditur illa per foramina fundi. Redissimè sanè omnia & prorsus ad mentem recentiorum, nisi quod illam aëris naturam ob quam aquas deprimat, explicatiū demonstrare debuerat: quod equidem si potuisset (uti quidem non potuisse videtur) prioris quoque partis rationem in problemate proposito in promptu habuisset.

CON-